

# BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri **Rainerio Mariae Woelki**, hactenus Episcopo titulo Scampino atque Auxiliaci-  
archidioecesis Coloniensis, ad metropolitanam Sedem Berolinensem translato, salutem et Apostolicam Bene-  
dictionem. Romani est Pontificis, Successoris beati Petri, de unaquaque Ecclesia particulari diligentissi-  
mam curam suscipere, eique, si vacat, consulere aptum eligendo Pastorem. Cupientes quidem providere insig-  
ni et dilectae Nobis metropolitanae Sedi Berolinensi, vacanti per renuntiationem suo tempore factam ab  
Eminentissimo Domino Georgio Maximiliano S.R.E. Cardinale Stezzinshy, benemerito Praesule, qui nu-  
peccime pie obdormivit in Domino, te, Venerabilis Frater, comprobatis mentis et cordis dotibus praeditum ce-  
rumque pastoralium abunde peritum, putamus dignum, qui eidem Ecclesiae praeficiaris. Summa igitur  
Apostolica potestate te, vinculo Sedis titulo Scampinae ac memorato Auxiliacis munere solvimus et ad nor-  
mam iuris conventi Archiepiscopum Metropolitanam **Berolinensem** nominamus cunctis cum iuribus et  
obligationibus. Mandamus praeterea ut haec Litterae in notitiam veniant cleri populi que tui; quoshorta-  
mur ut te laeti accipiant tecumque coniuncti mancant. Adsit denique tibi, Venerabilis Frater, Beata Vic-  
go Maria, cuius hodie memoramus Immaculatum Cor cuiusque etiam suffultus patrocinio fideles tuae  
commissos curae ita pascas ut iidem pergant crescere cotidie Christianis in virtutibus, seduli in audiendo  
verbo Dei, in exercendis misericordiae operibus inque digna receptione sacramentorum, praesertim Eucha-  
ristiae, panis vitae de caelo praestiti pro hominum salute. Gaudium atque pax Paracliti Spiritus *v. cfr. Gal*  
*5, 22* sint iugiter tecum, cum Episcopo Auxiliaci et cum fidelibus tibi creditis, cunctis Nobis carissimis. Da-  
tum Romae, apud S. Petrum, die secundo mensis Julii, anno Domini bis millesimo undecimo, Pontificatus  
Nostri septimo.

Benedictus 11. 18.



Franciscus Pius. Post. A. M. 1. 11.